PAVLVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sacri Apoſtolatus miniſterio, meritis licet imparibus, diſponẽte Domino præſidentes circa ſtatũ Eccleſiarũ quarumlibet, præſertim Metropolitanarũ regularium, & perſonarum in eis diuinis laudibus inſiſtentium ſalubriter dirigere, prout officij noſtri debitum expoſtulat, aciem noſtræ conſiderationis conuertimus, & vt perſonæ ipſę in pacis, & quietis dulcedine ſub ſuaui Religionis iugo valeãt perpetuò Altiſſimo famulari, noſtrę prouidẽtię partes libẽter interponimus, & ijs, quæ propterea prouidè ordinata eſſe comperimus, vt illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis præſidium propenſiùs impartimur. Sanè, ſicut dilectus filius noſter Alexander Sancti Laurentij in Damaſo Diaconus Cardinalis de Farneſio nuncupatus S. R. E. Vicecancellarius, qui etiam Eccleſiæ Montisregalis Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Caſinenſis aliàs Sãctę Iuſtinę de Padua perpetuus Adminiſtrator in ſpiritualibus, & tẽporalibus per Sedẽ Apoſtolicã deputatus exiſtit, nobis nuper expoſuit, aliàs ipſe cupiens, vt diuerſa iurgia, lites, diſſenſiones, & controuerſiæ, quæ inter dilectos filios Priorem, Decanum, & Monachos ex vna; & Vicarium ſuum, necnon Gubernatorem, & Archidiaconum, Clerumq; eiuſdem Eccleſiæ, in qua præter Priorẽ, & Monachos dictũ Ordinem profiteri ſolitos, nonnulli Clerici ſeculares fore noſcuntur, partibus ex altera ſuper Miſſarum celebratione, ſedẽdi locis, pace, & thure dãdis, ac proceſſionibus, & nonnullis alijs præeminentijs, & prærogatiuis, ac ſimilibus ſtatum honorem, & dignitatem dictæ Eccleſiæ, ac eiuſdem Cardinalis, & Adminiſtratoris, & eius in Eccleſia huiuſmodi Succeſſorũ concernentibus ortæ erant, & in dies, humani generis hoſte inſtigãte, oriri formidabãtur, ſubmoueretur, & penitus tollerẽtur, habita ſuper his matura deliberatione, necnon viſis per eum, & perſpectis erectione, & fundatione Eccleſiæ prædictæ, ac diuerſis priuilegijs, indultis, & literis illi per diuerſos Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Siciliæ Reges conceſſis, ſeu approbatis, & innouatis, ac ſententijs, ſtatutis, ordinationibus, decretis, relationibus, iudicijs, ac conſilijs, tàm à diuerſis Eccleſiæ prædictæ Archiepiſcopis Prædeceſſoribus ſuis, quàm etiam nuper à Venerabili Fratre noſtro Pompeio Epiſcopo Sulmonen. tunc in minoribus conſtituto, ac Notario, & familiari noſtro, & pro eodem Alexandro Cardinali, & Adminiſtratore in dicta Eccleſia viſitatoris officiũ exercente editis, auditiſq; dilectis filijs eius in Eccleſia prædicta Vicario in ſpiritualibus generali, ac Iacobo de Florentia eorundem Monachorum procuratore, ſeu pro eiſdem Monachis agente; necnon conſideratis, quibuſdam literis Apoſtolicis fęl. rec. Sixti PP. IIII. Prædeceſſoris noſtri, per quas Congregatio Siculorum in dicta Eccleſia ad inſtar Congregationis S. Iuſtinæ Paduan. inſtituitur, & Eccleſia ipſa, ſeu illius Monachi viſitationi, & correctioni Congregationis huiuſmodi, ſine tamen Archiepiſcopi ip-

A ſius

ſius Eccleſiæ pręiudicio,& ita vt nullum dignitati Archiepiſcopali pręiudicium generaretur, ſed illius ſeruarentur præeminentiæ Archiepiſcopales illæſæ,ac iura, immunitates, & priuilegia, cæteraq; omnia alia,& ſingula ad dignitatem, & menſam Archiepiſcopalem, tunc, & pro tempore pertinentia integra ſemper, & inuiolata permanerēt, ſubijcitur, vſuq; ipſo omnium optimo interprete, & teſte doctus, auctoritate ſua ordinaria, ſaluo in omnibus dictæ Sedis Apoſtolicæ beneplacito infraſcripta ſtatuta, & ordinationes duxit edenda, videlicet.

§ Quod nullus cuiuſcunq; ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis, etiam ſi eius Vicarius exiſtat,& quacunq; præfulgeat dignitate, ex tunc de cetero niſi vna cum ipſis Priore, & Monachis circa diuina officia in Eccleſia ipſa celebranda,ſine ipſius Alexādri Cardinalis, & Adminiſtratoris,ſeu eius in dicta Eccleſia Succeſſorum expreſſa licentia, niſi propter Ordines dandos,vel Chriſma, aut Oleum ſanctum conſecrandum,vel aliud ſimile celebrandi vſus,aut neceſſitas venerit,ſe valeat, ſeu audeat intromittere,ſed diuina officia huiuſmodi, tàm feſtiuis, & ſolemnibus, quàm etiam feriatis diebus,præterquā in Natiuitatis,necnon Reſurrectionis D.N. Ieſu Chriſti, ac Purificationis, & Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis eius Matris, ac Sancti Marci Euàngeliſtæ, & ſi dicto Alexandro Cardinali, & Adminiſtratori, ſeu ipſius in eadem Eccleſia Succeſſoribus viſum fuerit, etiā alijs ſolemnibus Feſtiuitatibus, in quibus omnibus Vicarius prædictus maiorem Miſſam cum Veſperis ſolēniter decantare poſſit, per Priorem, & Monachos prædictos debeant celebrari; qui Prior primū, & Decanus ſecundum ſtalla chori ſiniſtri, Archidiaconus autem, qui iuxta Canonicas ſanctiones Vicarius Archiepiſcopi exiſtit, in dicta Eccleſia, & extra eam locum, & omnes alias præeminentias, prærogatiuas, & iuriſdictiones ſibi tàm iuxta eaſdem canonicas ſanctiones, & dictæ Eccleſiæ conſuetudinem debitas, quàm etiam iuxta decretum,ſeu declarationem per bo.me. Henricum Cardinalē de Cardona olim ipſius Eccleſiæ Adminiſtratorem vſq; ad tempus pręd icti Pompeij Epiſcopi,& Viſitatoris obſeruatam teneat,& exerceat,& præcipuè ſtallum primum chori dextri immediatè poſt ſedem Archiepiſcopalem habeat, ſuper qua ſede, niſi de ipſius Cardinalis, & Adminiſtratoris,ac Succeſſorum ſuorum prædictorum expreſſa licentia in ſignum iuriſdictionis Archiepiſcopalis, nemini ſedere liceat; aduenientibus vero Vicario, qui in primo ſtallo chori huiuſmodi ſedere habeat, ipſe Archidiaconus ad ſecundū, & Suffraganeo,qui ſedente Vicario in primo, in ſecundo chori ſtallo huiuſmodi ſtare debeat, ad tertium ſtallu deſcendere teneatur,ita tamen quod dictus Vicarius,ſi in dignitate Epiſcopali non fuerit conſtitutus poſt Suffraganeum ſedere debeat. Quodque Clerici, & Presbyteri ſeculares,quibus cura Sacramentorum omnium adminiſtrandorū ac parochianorū, & aliarum perſonarum imminet animarum,cū ſuperpellicijs in inferioribus ſtallis dextri, & ſiniſtri chori ſubtus eoſdem Priorem,Decanum, & Monachos, necnon Vicarium,Suffraganeum

ganeum

gahcum, & Archidiaconum ſedere, ac omnibus, & ſingulis diuinis officijs vna cũ dictis Priore, Decano, & Monachis intereſſe, & cum eiſdem ſe cõformare debeant. Pręterea quòd in dicta Eccleſia ſint duo Thuribula, & totidem paces, quæ vno, eodemq; tempore adminiſtrentur, ita ut vnus à dextro, alter verò à ſiniſtro choro, hic Priori, Decano, & Clericis; ille verò Vicario, deinde Gubernatori, qui aliud primum ſtallum chori dextri apud aliam Sedem Archiepiſcopalem marmoream habeat; & cui Epiſcopo exiſtenti priuſquam Vicario non Epiſcopo, poſtea Suffraganeo, Archidiacono, & Clericis vterq; ſui chori miniſtrando incipiant. Ad hæc Prior, Decanus, & Monachi tàm in Eccleſia, q̃ extra eã in Choro, & vbiq; ipſi ſoli deferãt Sacramẽtum, in proceſſionibus, & in alijs actibus, publicis Clericis, & Presbyteris ſecularibus in locorum pręeminentia præferantur.

§ In animarum autem cura, niſi eis ab Archiepiſcopo pro tempore ſpecialiter commiſſa fuerit, & in Sacramentorum adminiſtratione, præterquam, ſi requiſiti fuerint in confeſſionibus; & in adminiſtrando Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum familiaribus, ſeruitoribus, & deuotis, aut habitum eiuſdem Ordinis deferentibus, vel Profeſſis ſolis; necnon in Feſtis populo annunciandis, vel conferendis ſacris Ordinibus, aut benedictionibus dandis, ſeu alijs quibuſcunq; quæ ſint, ſeu eſſe poſſint contra priuilegia, prærogatiuas, præeminentias, vel iuriſdictiones Archiepiſcopales, nullatenus ſe intromittere poſſint, audeãt, vel pręſumãt.

§ Sacriſtia verò exerceatur per vnũ ex ipſius Eccleſiæ Monachis ad nutũ Archiepiſcopi, ſeu Vicarij pro tempore amouibilem; qui paramentorum, necnon emolumentorum, ac prouentuum, ſcripturarumq;, & aliorum bonorum, etiam precioſorum dictæ Sacriſtiæ curam habeat, & de rebus ſibi commiſſis huiuſmodi ad mandatum dicti Archiepiſcopi, ſeu Vicarij, ac etiam Prioris, inter quos, videlicet Vicarium, & Priorem ſi qua ſuper hoc exorta fuerit diſſenſio, ipſi Vicario obediendo, & non aliàs diſponat; & de illis vna cum Priore, Decano, & Monachis Archiepiſcopo, & Vicario prædictis rationem reddere; Qui Prior Decanus, & Monachi Presbyteris ſecularibus, ac omnibus in eadem Eccleſia celebrare volentibus, paramenta, candelas, & alia neceſſaria ex eadem Sacriſtia ſubminiſtrare; & cum ad funeralia, ac mortuos ſepeliendos accerſiti fuerint, cadauera ad dictam Eccleſiam aſſociare, & in ea conſtitutum officium vna cum Presbytero ſeculari, ſicut hactenus extitit obſeruatum, decantare; Victum quoq;, & habitationem Quadrageſimali tempore, & Dominicis diebus Aduentus dumtaxat, iuxta Monaſticum eorum vſum prædicatoribus prouidere; Decimas etiam, prout hactenus ſolutę fuerũt, omni exceptione remota, in futurum perſoluere teneantur.

§ Declarans etiam Archidiaconatum, & alias dignitates perpetuas ad Priorem, Decanos, & Monachos minimè pertinere, nec aliqua alia priuilegia ab ijs, quæ Congregatio Sanctæ Iuſtinæ prædicta habet, præterquam ſupradictas præeminentias: Et quod Archiepiſcopus eſt caput ipſorum

Monachorum, illorumq; exemptionem à viſitatione, & correctione Archiepiſcopi prædicti eſſe quoad regularia eorum inſtituta tantùm, & non quoad ſupradicta, vel exceſſus perpetratos, vel perpetrandos, in quibus correctioni, & viſitationi Archiepiſcopi, ſeu eius Vicarij prædictorum, prout ſunt, ſubiecti ſint, & eſſe cenſeantur:

§ Deniq; quòd Prior Decanus, & Monachi prædicti non contrauenient, neq; in aliquo prædictorum ad diuinum cultũ, & dictæ Eccleſiæ ſuę curam pertinente deficiant, prout ad hoc, more Monaſtico, ſecundum ordinationes, ſtatuta, & conſuetudines eiuſdem Congregationis Caſinẽſis in dicta Eccleſia hactenus obſeruata tenentur, & conſueuerunt; quòd ſi ſecus in aliquo prædictorum per eos factum fuerit, Vicarius ſuus præfatus vice, & nomine ſuo circa ea prouidere; ac eorum defectus ſupplere poſſit.

§ Reſeruans tamen ſibi, & Succeſſoribus ſuis præfatis facultatem ſupradicta minuendi, & in illis addendi, prout in Domino ſibi, & Succeſſoribus eiſdem viſum fuerit expedire, prout in ipſius Alexãdri Cardinalis, & Adminiſtratoris patentibus literis deſuper confectis, plenius continetur. Quare idem Alexander Cardinalis, & adminiſtrator nobis humiliter ſupplicauit, vt ſtatutis, & ordinationibus prædictis pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ cõfirmationis adijcere, ac aliàs in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§ Nos igitur, qui Eccleſiarum omnium, præcipuè Metropolitanarum, ac perſonarum in illis laudes Altiſſimo decantantium profectum, & fęlicem ſucceſſum ſinceris exoptamus affectibus, quiq; in ijs libenter aſſiſtimus, perquę pax, & tranquillitas inter perſonas quaslibet, potiſſimè Eccleſiaſticas procuratur, ſingularum literarum, necnon priuilegiorum, & indultorum prædictorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, ſtatuta, & ordinationes prædicta ex noſtra certa ſcientia approbamus, & cõfirmamus, ac illis perpetuæ firmitatis robur adijcimus, illaq; omnia, & ſingula inuiolabiliter, etiam perpetuò obſeruari debere, ac Priorem, Decanum, Archidiaconum, Monachos, & Clerum præfatos ad illorum totalem obſeruationem teneri, & aſtrictos eſſe, & ad id cogi, & compelli poſſe, & quemlibet ex eis præmiſſis contrauenientem, vel ea quomodolibet infringentem excommunicationis maioris ſententiam eo ipſo incurrere.

§ Sicq; in præmiſſis omnibus, & ſingulis, per quoſcunq; Iudices, & Commiſſarios, etiam S. R. E. Cardinales, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere; irritum quoq;, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, ſupplentes omnes, & ſingulos, tam iuris, quam facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem: Et nihilominus pro potiori cautela eadem præmiſſa, prout per prædictum Alexandrum Cardinalem, & Adminiſtratorem

mini-

miniſtratorem, vt præfertur, facta, & edita fuerunt, de nouo etiam perpetuò ſtatuimus, & ordinamus. Quocirca Venerab. fratribus noſtris Ceſenaten.& Feltren. ac Albinganen.Epiſcopis per præſētes mādamus,quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta quæcunq; plenum effectum ſortiri, & inuiolabiliter obſeruari,non permittentes quemquam circa illorum tenorem quomodolibet moleſtari, perturbari, aut inquietari, vel contra eas, ſeu eadem præmiſſa aliquid intentari, contradictores quoslibet, & rebelles, etiam per quaſcunq; Eccleſiaſticas cenſuras, & pœnas, ac alia iuris opportuna remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo,ac cēſuras,& pœnas ipſas legitimis ſuper ijs habēdis ſeruatis proceſſibus, etiam iteratis vicibus aggrauando,inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit,auxilio brachij ſecularis.

§ Non obſtan. præmiſſis, necnon Conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis,ac Eccleſiæ prędictę iuramento,confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis,ſtatutis,& conſuetudinibus,ac prædictis,& quibuſuis alijs priuilegijs,indultis, & literis Apoſtolicis eidem Eccleſiæ, ac prædictis Priori, Archidiacono, Decano, Monachis, & Clero per prædictos, & alios quoſcunq; Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, & Nos, ac Sedem prædictam ſub quibuſuis verborum formis, & tenoribus, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis quomodolibet pro tempore conceſſis,confirmatis, & innouatis, quibus illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter,& expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunq;. aut ſi Priori, Archidiacono, Decano,Monachis,& alijs prædictis,vel quibuſuis alijs communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

§ Nulli ergo omnino hominū liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, adiectionis, decreti, ſuppletionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ 1549. Septimo Kal. Auguſti Pontificatus Noſtri Anno quintodecimo.

M. Card. Creſcentius.

G. Groletti.

ROMAE, *Apud Impreſſores Camerales. 1603. Superiorum permiſſu.*

570,232